Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2061
Quelle:
Copyright:

prolixum in *tria* distinctum *Capita*, quod incipit: *Reducendo igitur ad breuitatem ea que prolixe sunt dicta de domini nostri ihesu christi et apostolorum eius paupere uita per dicta sacri textus et auctoritates sanctorum et rationes multiplices concluduntur tria. scilicet quod habuerunt res ad vsum necessarium vite — quod vitauerunt superfluum vsum rerum et seruauerunt strictum et artum et — illa pauca que habuerunt liberalissime indigentibus fecerunt communia et pro ipsis temporalibus retinendis uel repetendis omnia causidica litigia tanquam eis prohibita vitauerunt* &c. E quo principio adparet, praesentem Tractatum, quamvis, ut dixi, sat prolixum Compendium tamen esse prolixioris cujusdam, cujus vestigium apud Autores non invenio. Scriptum esse post Concilium *Viennense* e variis locis liquet. Ceterum, quae suo tempore evincere non valuit Noster, lenius deinceps effectum est Fratribus in dictos *Conventuales* et *de Observantia* digressis, quibus rigidiores demum *Capucini* supervenere.

DXLII.

909 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 203. 4. minutius exaratus; rubricisque distinctus exhibet: I. *Marsilii Menandrini* seu *Mainardini Defensorem* sive *Defensorium Pacis* perperam hic inscriptum *Guilelmo Occamo* O. M. de quo egi *Cod.* anteced. Praeit Elenchus *Capitum*, in quae *Dictiones* III. sive Libri divisi sunt. Initium Operis: *Omni quippe regno desiderabilis debet esse tranquillitas* &c. Finis: *determinandum supponimus auctoritati ecclesie katholice seu generalis concilij fidelium christianorum. Amen.*

II. *fol.* 88. *Incipit Trialogus doctoris ewangelici et primo Tractatus primus.* Initium: *Cum locucio ad personam* &c. Ad calcem: *Explicit Trialogus Wiklefh Doctoris ewangelici Scriptus sub Anno domini M° CCCC° XL°.* Ut saepe alias. Margo diligenter rubricis pernotatus, et ipse character *Codicem* hunc *Bohemiae* adsignat.

DXLIII.

Codex membraneus lat. Sec. 118
XIV. Folior. 65. f. per duas columnas charactere minori scriptus, rubricisque distinctus hunc praefert Titulum miniatum: *Incipit liber magistri Willelmi de sancto amore socii condam de sorbona parisſ. in quo recolliguntur scripture catholice et canonice ad defensionem ecclesiastice Jerarchie. et ad instructionem et proporcionem* (praeparationem) *simplicium fidelium christi contra pericula imminencia ecclesie generali per ypocritas. pseudo predicatores et penetrantes domos ociosos curiosos et gerouagos.* Nota sunt in Historia ecclesiastica Seculi XIII. dissidia, quae *Parisiis* inter Academiam et Ordines Mendicantes fervebant. In his *Guilelmus* noster *Sequanus*, Philosophiae primum Doctor,